

Em 432

IMMATVRO FATO

NOBIS EREPTVS

IMMORTALI MEMORIA

DIGNISSIMVS

SERENIS-
SIMVS
PATRIAE PATER.

AK

W. 102. 26. IV. 111

IMMORTALI MEMORIA
DIGNISSIMA
SERENISS
SIMVS
PATRIAE PATER





Non inuida Parca,
non Fati crudelitas,
non casus aliquis fortuitus;
verum
arcana supremi NVMINIS prouidentia,
cui soli, qui CHRISTO nomen dederunt, rectissime tribuunt,
quicquid in rebus humanis accidit,
terris eripuit,
quem?
quaeris, qui PATRIAE nostrae cladem
vel nescis, vel non sentis,

SERE-

SERENISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM,
ERNESTVM LVDOVICVM,
DVCEM SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE,
MONTIVM, ANGRIAE, ET GVESTPHALIAE, LANDGRA-
VIVM THVRINGIAE, MARCHIONEM MISNIAE, COMITEM
PRINCIPEM HENNEBERGIAE, COMITEM MARCAE,
ET RAVENSBERGIAE, DYNASTAM
RAVENSTEINI,
S. CAES. MAJ. ET S. ROM. IMPERII SVMMVM REI TORMEN-
TARIAE PRAEFECTVM,
PATREM PATRIAE CLEMENTISSIMVM.

Hic

SERENISSIMO PATRE,
BERNHARDO,

ERNESTI PII FILIO haud degeneri,

&

SERENISSIMA MATRE,

MARIA HEDWIGIA,

LANDGRAVIA HASSIACA DARMSTADIENSI,

d. vii. Octobr. c10 DCCLXXII. natus,

&

SERENISSIMIS MAIORIBVS,

in signi meritorum gloria ceu sidera splendentibus,

prognatus:

speciatissima virorum praestantissimorum,

BREITHAVPTII,

nunc magni nominis, multorum meritorum, summorum munerum,
quibus apud Magdeburgenses & Hallenses simul fungitur,

THEOLOGI,

KREBSII,

jam summe reuerendi & Magnifici, sacrorum Aulicorum

MEININGENSIVM Antistitis & Superintendentis

Generalis,

BECHMANNI,

dignissimi apud nos Praefulis, *78 vñ maxaple,*

aliorumque industria

ad omne virtutis & laudis, Principi conuenientis, decus

tam solide, quam solcite

insti-

institutus, &
impensis horum studiis praeparatus
ad PRINCIPIS munera post SERENISSIMI PATRIS fata
cum laude & fructu excipienda
& administranda:

quod factum esse constat anno MDCCVI:
a diuina benignitate certe non datus videri poterat ea conditione,

vt ante repeteretur,
quam ad extremam senectutem peruenisset,
quae sane summa votorum omnium piorum ciuium erat.

Spondebat vel ante paucos annos

aetatis flos,

virium integritas,

animi vigor:

quem omni vitae tempore

ceteris nascendi fastigio IPSI paribus in exemplum,
ciuibus SVIS in certissimum summae virtutis documentum

ostenderat:

maxime

curatae religiosaeque piorum ciuium preces & vota,

quibus isti summam & diuturnam tam boni,

tamque commodi PRINCIPIS

salutem & prosperitatem,

qua dignissimus erat,

a DEO O. M. efflagitabant,

BEATISSIMVM PRINCIPEM diu victurum,

& populum SVVM

clementer, prudenter, feliciter,

vti haecenus per XVIII, sic in feros annos

recturum, recreaturum, ornaturum:

quales certe PRINCIPES

temporibus, in quae incidimus, necessarios

desideratissimosque esse,

non, nisi qui non sapit, negare audebit.

At, eheu!

qui vitam quam longissime producturus credebatur,

vt PATRIAM laborantem subleuaret

SVIA Iesus mandata, obedienter facta, laudando,

procerum consilia, prudenter data, approbando,

etae vt in actum transferantur, vrgendo,

pios

pios ciues fouendo,
male merentes puniendo:
vt ECCLESIAE ministros
quos rarissimo PRINCIPIS exemplo paene reuereri videbatur,
nec adeo contemnebat, vt potius in eorum orationibus
audiendis & calamo excipiendis intentus esset,
autoritate SVA adiuuaret:
vt SCHOLARVM etiam moderatoribus
quibus hoc seculo nihil est contemptius,
nescio autem, qua contemnentium conscientia?
cum tamen nihil iis reipublicae sit vtilius,
opem ferret desideratissimam:

Is
mutatis repente rerum vicibus
Medicorum solertia quantacunque
& medicaminum vi profus exquisita
proh! ne quidquam adhibita;
& thermarum vsu frustra quaesita valetudinis
confirmatione,
subductus nobis est funere immaturo.
Non igitur mirum est,
si tanti PRINCIPIS,
ingenii, studii, solertiae, doctrinae meritorum gloria illustrissimi
animi, consilii, dictorum, factorumque,
inter quae quid bellicis excellentius?
quid eis enarrandis digneque praedicandis
vel disertissimi ingenio & arti sublimius?
autoritate eminentissimi,

ministorum obsequio, ciuium amore, exterorum admiratione maximi
jacturam
tam subitam,
tam inopinatam,
tamque acerbam, vt patriae vniuersae,
sic nobis, SALZVNGENSIS ciuitatis
Senatui,
ac nulla precum vel ardentissimarum ope prohibendam
vel saltem retardandam ac remorandam,

quot-

quotquot melioris notae ciues sunt,
& saluti publicae bona fide fauent,
maximo dolore sentiunt.

Verum enim vero,
ne religio nostra peccet,
feramus, non culpemus;
quamuis ab animo nostro, doloris sensui, quid mirum? indulgenti,

aegre id impetremus,
quae a DEO O. M. facta esse, credimus;
optemus etiam omni ex animo

solida iacturae solatia
omnibus tam immaturo tanti PRINCIPIS obitu
adflctis & paene oppressis:
& veneremur cum posteris
admirandae sapientiae,

summae virtutis,
singularis indulgentiae & clementiae
exemplum;

nec dubitemus, fore, vt
SERENISSIMI SVCCESORES,
QVOS Deus Optimus Maximus iam dedit,
Quosque post fata IPSORVM, vtinam serissimal
dabit alios

BEATISSIMI PRINCIPIS,
ERNESTI LVDOVICI,

vestigiiis insistant,
atque ita
Pius, BONISQUE MAIORIBVS sint
pietatis ac virtutis gloria
simillimi.

Id

Id quod,
suum & COLLEGARVM dolorem,
ex SERENISSIMI PATRIS PATRIAE
obitu tam immaturo conceptum,
hoc die - - - -
PRINCIPALIBVS exequiis
destinato,
hocce qualicunq; monumento
testantes,
simul
vovent & optant
SALZVNGENSIS CIVITATIS CONSYLES,
Jo. Christian SCHMOLLER,
Jo. Henricus SCHLEHNSTEIN.



78M 378

ULB Halle

003 076 938

3



185

IMMATVRO FATO

NOBIS EREPTVS

IMMORTALI MEMORIA

DIGNISSIMVS

LENIS
MVVS
AE PATER.

AK

